



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Margarita Evangelica**

**Essche, Nicolas van**

**Coloniae, 1545**

Viri Cvivsdam Devoti contra vitia capitalia sententia ac decretum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49323](#)

**VIRI CV  
IVSDAM DEVOTI**

contra vitia capitalia sententia  
ac decretum.

**Contra superbiam.**

**V**bi cognoui Deum altissimum pro me ex-  
treme humiliatum, nūquam adeo me de-  
primere potuit homo, quin maiori me vi-  
lipensione dignum iudicauit.

**Contra auaritiam.**

Vbi cognoui animam meam nulla re posse  
fatiari, prēterquam solo Deo meo, miratus sum,  
si aliud prāter ipsum querere debeam.

**Contra luxuriam.**

Vbi cognoui corporis mei nobilitatem, &  
quod mihi conceditur purissimum corpus Chri-  
sti sumere in os meum, dignum duxi omnibus  
viribus laborare pro perpetua cordis & corpo-  
ris puritate.

**Contra iracundiam.**

Nulla hominum infidelitas me perturbare po-  
tuit, dum perpēderem, quam infidelis Deo meo  
fuerim ego sāpe.

**Contra gulam.**

Vbi gustaui coelestium ciborum dulcedinem,  
nulla terreni edulij me seducere potuit ingluvi-  
es.

**Contra inuidiam.**

Vbi cognoui quod Deus me tantum pecca-

QQ sij torem

torem. In gratiam receperit, non potui aliquem  
hominem odisse propter ipsius iniquitatem.

**Contra acediam.**

Vbi perpendi, quod post breuissimum labo-  
rem æterna conquiritur beatitudo, nimis exigu-  
um arbitratus sum, quemcunque ego tolerau-  
eo, labore.

**Contra omnia vitia.**

Cum dominicæ passionis & mortis amaritu-  
dinem ad memoriam reuoco, nihil adeo est aspe-  
cum, quod non æquanimiter portem.

*Lib. C. Soc. Iesu Rad. v. n. a. 1610*

Hæc in gratiam amicorum Dei, quorum pro-  
fectui hæc non paruo labore exhibentur. Quæ  
primo Deo, a quo omne bonum, accepta referat  
oportet, deinde auctori: postremo, Carthusianos,  
quorum cura & opera, ut & alia multa pia, de-  
riuantur, vnico seruatori & amatori fidelissimo  
Iesu Christo commendare velint.

**FINIS.**

